sion exalta uocē tuā qui euangelizas

& in aegyptum ad dnm ueniant. nec dixit omnes filiorum isrl. sed omnes qui perie-
rant per quos significat gentium multitudinem quod idolatriae & magicis ac phi-
losophiae artib. obligati ueniant ad fidem xpi & adorent eum in ecclesia. tuba autē
magna potest intellegi & sermo euangelicus de quo in hoc (eodem) propheta legimus. super
montem excelsum ascende qui euangelizas hierusalem. mons ergo scs & hierusalem
illa est de qua saepe diximus. accessistis ad sion montem. & ciuitatem di uiuentis hieru-
salem caelestem & multorum angelorum milia & ecclesiam primitiuorum qui scrip-
ti sunt in caelis. hucusq. de consummatione mundi dictum est. ab eo loco in quo expo-
nere coepimus. Ecce dns dissipabit terram & nudabit eam quod psenti uolumine
continetur. nunc adiuuante immo inspirante nos xpo transeamus ad nonum
quod alterius prophetiae habebit exordium. EXPLICIT LIBER OCTAUUS ::

# INCIPIT LIBER NONUS ::

VARIIS MOLESTIIS OCCUPATI EXPLANATIONES IN ESAIAM
prophetam per interualla dictamus. unde expleto octauo uolumine
nunc post aliquantum temporis spatium transimus ad nonum. non absque
morsu & obtrectationibus inuidorum. qui ignorantes qui audiant qui loquan-
tur. de eo audent iudicare quod nesciunt. & ante dispiciunt quam probent.
eruditosq. se aestimant & disertos si de cunctis scriptorib. detrahant. quorum liuo-
rem & mussitationem garrulam contemnentes. dm poscamus auxilium. & psal-
mistae inpraecationem dicamus. dissipa gentes quae bella uolunt; dni enim
locus in pace est. quae exsuperat omnem sensum. quam & propheta desiderat
clamitans. Dne ds noster pacem da nobis omnia enim reddidisti nobis. sed iam
proponamus esaiae capitulum. & cum moyse ingrediamur nubem & caliginem
ut clarificetur uultus noster. & iuxta hebraicum cornuta sit facies. audianturq. et
rutilent tonitrua & fulgora quae plebs uilior uidere non potuit. Vae coronae super- LXXII
biae ebriis ephraim. & flori decidenti gloriae exultationis eius. qui erant in uertice
uallis pinguissimae errantes a uino. ecce ualidus & fortis dns. sicut impetus grandinis.
turbo confringens. sicut impetus aquarum multarum inundantium & emissarum
super terram spatiosam. pedib. conculcabitur corona superbiae ebriorum ephraim
& erit flos decidens gloriae exultationis eius. qui est super uerticem uallis pinguium. quasi
temporaneum ante maturitatem autumni quod cum aspexerit uidens statim ut manu
tenuerit deuorabit illud. LXX. uae coronae iniuriae mercennarii ephraim. flos cadens
de gloria super uerticem montis pinguis. qui ebrii estis absq. uino. ecce fortis & du-
rus furor dni sicut grando quae fertur in pronum non habens umbraculum. & quae
uiolenter decidit sicut aquarum multitudo trahens humum & faciens sibi spatiū

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD

HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen

Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Bodleian Libraries

http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc455/0245